

circum circa ipsum Monasterium situatis exemit, tenore presencium libertamus, et esse volumus in perpetuum liberos et exemptos, Preterea cupientes dictos abbatem et Conuentum, vt Deum celi eiusque Genitricem gloriosam, pro Predecessorum nostrorum animarum salute, nec non domini et Genitoris nostri prefati, ac nostra prosperitate valeant et debeant in antea deuocius exorare, speciali gracia preuenire, donacionem seu legacionem, quam honesta matrona, domina Margareta quondam Steglini relicta de villa sua Reschkowicz cum Jure patronatus Ecclesie ibidem et aliis suis iuribus vtilitatibus et pertinencijs vniuersis, in quibuscumque rebus consistant, uel quomodocumque vocentur nomine, et quibus eadem Margareta villam ipsam tenuit et possedit, eidem Abbati et Conuentui ac Monasterio in Sars fecit, ratam habemus et gratam, ipsam aprobamus, et tenore presentis nostri priuilegij confirmamus, volentes, quod dicti Abbas et Conuentus Monasterij prenotati peramplius de nostra valeant gracia gloriari, vniuersis et singulis Boemie et Morauie Incolis sub precepcione strictissima inhibemus, volentes, quatenus dictos Abbatem et Conuentum nullus in antea ad hospitalitates seu expensas in ipso Monasterio uel bonis faciendas, debeat uel possit compellere, uel artare, quinyomo ipsis hospitalitates seu expensas huiusmodi denegantibus presumat inferre, sub obtentu nostre graciae, molestiam uel gravamen. Quocirca vniuersis et singulis subditis et officialibus nostris per Morauiam, cuiuscunq̄ue status uel auctoritatis existant, tam presentibus, quam futuris Seriose precipimus et mandamus, volentes omnino, quatenus omnia et singula superius contenta, per nos eidem abbati et Conuentui seu Monasterio in Sars graciosius concessa et indulta ipsis debeant inconcusse perpetuis temporibus obseruare, et eis contra ea, vel eorum aliquot ullam inferre, uel facere uolenciam uel grauamen. In quorum testimonium presentes litteras fieri et Sigillo nostro fecimus communiri. Datum Brunne, Anno Domini Millesimo Trecentesimo Tricesimo Octavo, feria quarta ante dominicam Letare Jerusalem proxima.

(Das Orig. auf Pergament, dessen Sigill abgerissen ist, im Archive desselben Klosters, im m. st. Landesarchive Lit. A. n. 39. Abgedruckt bei Steinbach II. S. 65. n. XLV. Böhmer Ad. II. S. 342. n. 26.)

191.

Markgraf Karl gestattet der Stadt Znaym die Auslösung des an Bernhard von Cimbürg verpfändeten Dorfes Schattau und befreiet dasselbe von der Abgabe der Berna und von der Jurisdiction der k. Beamten und Provinz. Richter. Dt. Brunne, fer. VI. ante Letare (20. März) 1338.

Carolus, Domini Regis Bohemie primogenitus, Marchio Morauie. Ad uniuersorum notitiam uolumus tenore presentium deuenire. Quod nos incomoda ac pressuras, quibus dilecti nobis Ciues Ciuitatis nostre Znoymensis, occasione colloqui per dilectum Dominum et genitorem nostrum, cum Ducibus Austrie in eadem Ciuitate pridem habiti per repentinam Ignis uoraginem, prout hec eiusdem Domini genitoris nostri literis patentibus, quas uidimus, demonstrarunt, lesi sunt grauiter et offensi, benigno pensantes affectu, eisq̄ue sub eo uolentes nostre munificentie remedia impendere opportuna; ipsis villam nostram Schattaw dictam,

que ad Villicationem nostram Znoymensem spectauit hactenus exsoluendam per eos in Trecentis Marcis grossorum Denariorum Pragensium, sexaginta quatuor grossos pro Marca qualibet computando, pro quibus eandem fideli nostro Bernardo de Czimbürg dudum ex causis rationalibus obligaueramus, cum omnibus, suis iuribus, usufructibus et pertinentiis, in quibuscumque consistant, sicut ad nos et ad ipsam Villicationem spectabat et spectare poterat, de mandato Domini Genitoris nostri, damus, conferimus et donamus tenendam et habendam ac utfruendam per eos jure hereditario in perpetuum pacifice et quiete, et quia uilla eadem multo amplioris censetur pretii et ualoris; Nos uolentes, ut prefata Ciuitas a perpetuis releuetur dispendiis, et continua sub nostro felici regimine suscipiat incrementa, residuum ualoris eiusdem villæ predictis nostris Ciuibus in perenne subsidium pro sufferendis, sibi quibuscumque incumbentibus oneribus liberaliter elargimur, transferentes in eos, de benignitate nobis ingenita et etiam nostra scientia, si quid juris in ipsa prelibata uilla, nobis, heredibus ac successoribus nostris Marchionibus Morauiæ, competebat hactenus, competit presenti, seu posset quomodolibet competere in futurum, Eximentes nihilominus uillam eandem perpetua exemptione a solutione collectæ Regiæ, seu Berne, et a jurisdictione quorumlibet Villicorum seu Prouincialium Judicum Czudariorum et Beneficiariorum Znoymensium, ac totius nostri Marchionatus Morauiæ, Ita ut nulli omnino hominum, cuiuscumque status aut condicionis extiterit, preterquam dictis Ciuibus, liceat in eadem aliquam exercere iudiciariam potestatem seu jurisdictionem, super quibuscumque culpis uel excessibus, quorum Iudicium eisdem Ciuibus secundum sepe dictæ Znoymensis Ciuitatis consuetudinem iurium hactenus approbatorum, duximus concedendam, fauentes ipsis et concedentes de gratia speciali, ut a Villanis Ville sepe dictæ, agros et alia bona sua, secundum taxationem rationabilem uicinatorum de adiacentibus villis ac prediis, sepe dicti Ciues redimere et comparare ualeant, suis usibus jure plenario applicanda, eo non obstante, si Villani prefati, ipsis Ciuibus Znoymensibus resistere, in hac parte uoluerint uel reniti. Adijcimus preterea ut prefati Ciues cetera bona sua, uidelicet, Elhmicz, Kukrowicz, Schalersdorff et Waltermiczfeld, cum molendino in Pohmelicz, que nunc possident, nec non ea, que imposterum jure proprietatis possessuri sunt, sub ea plena exceptione, qua prefatam Villam Schattaw, eos deinceps tenere uolumus et sicut ipsa supradicta bona ex concessione Predecessorum Nostrorum, Illustrium quondam Morauiæ Marchionum, memorati Ciues antiquitus tenuerunt, teneant, habeant, et possideant in perpetuum pacifice et quiete. Preterea ad profectum et meliorationem ipsorum ciuium et Ciuitatis Znoymensis, plenis affectibus intendentes, ut ab incommodis et pressuris supradictis, et aliis ipsorum grauaminibus, tanto melius, quanto fortius, gratiam nostram sibi adesse sentiant, et imposterum respirare ualeant, omnes et singulas libertates, gratias et priuilegia per dictum Dominum genitorem nostrum, et alios diu recordationis Reges Bohemie uel Marchiones Morauiæ, predecessores nostros, ipsis prouide datas, factas concessas et indultas, ratas habemus et gratas, eas approbamus et uirtute literarum nostrarum presentium confirmamus. Date Brunne, Anno Domini, Millesimo Trecentesimo Tricesimo octauo, feria sexta ante Dominicam, qua canitur Letare Jerusalem proxima.

(Das Orig. auf Pergament mit einem grossen wohl erhaltenen Sigillé im Archive derselben Stadt.)